



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Helladius Conf. 18. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## S. HELLADIUS CONF. 18. Februarii.

**P**rimam ætatem maximamque vitæ aulicus HELLADIUS, alteram monachus, ultimam Pontifex egit; omnem ita, ut dubitem, quam sanctius. Rempublicam cum adhuc administraret, latere jam tum sub purpurâ monachum deprehendisse, ita modestia hanc ornabat. Ergo igitur quoties via ad monasterium Agaliense ferebat, descendere HELLADIUS ex equo, amissaque famulorum & clientum grege, Dei servis operam suam locare, furnoque instruendo ligna comportare iis humeris, quibus regni onera solebat. Quantum Super! refert, quibuscum familiaritatē ineas. Consuetudo hæc sancta paullatim omnem mundi pulchritudinem ex animo HELLADII delevit, & id denique potuit, ut sanctissimus aulicæ servitutis transfuga pro pileo cucullum inter non ignotos jam Sodales quæreret. Dedere & hunc & monasterii præfecturam insuper. Mox Toletana quoque insula invitum texit. In hac maxima gemma eminebat ultima modestia, quā iterum mendicabulorum societatem purpuratus ambiebat. Atque hos quidem ita foveri ab illo vidisses, ut spiritum illius ex horum pendere crederes. Obiit annis meritisque gravis, cum literis mandare nihil voluisse, pluris faciens scribenda facere, quām scribere facienda. Ex Ildeph. & Bar. Not. Mart.

*Quomodo non verè humiliabitur anima in cognitione sui, cum se percepert oneratam peccatis, mole mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum face infectam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes?* S.Bern. serm.36. sup. Cant.